SIGISMVNDVS TERTIVS DEI GRA

tia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque etc. nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis: Exhibitas esse nobis literas pergameneas, Proconsulis et Consulum civitatis nræ Clepardien. ad Cracoviam, sigillo civitatis appenso, obsignatas: Continentes in se articulos Contubernii Pannificum, eiusdem Civitatis bono regimini eorum conducibiles. Supplicatumque ut eas literas, articulosque in eis descriptos, authoritate Nostra Regia approbare et confirmare dignaremur: quorum hic de verbo ad verbum tenor sequitur huiusmodi. **In nomine Domini Amen.** Scientes ea, quæ ex humana ratione et industria inveniuntur, per spacia tandem temporum ex memoria elabi; nisi characteribus signis aut scripturis muniantur, et debite roborentur. Proinde Nos Proconsul et Consules Civitatis Clepardien. circa Cracoviam, Significamus, ad notitiamque indubitatam deducen. veraciter profitemur. Quia coram nobis, in residentia nra Consulari personalr. comparentes Famati et Honorati Dni: Andreas Nawrot et Joannes Finicki. Offitii Nostri Consularis confratres colen. suis et omnium suorum Artis Pannificu Confratru nominibus optaverunt et petierunt; ut articulos infrascriptos et per præfatos Pannifices nobis oblatos, Authoritate nra Consiliaria confirmaremus et ratificaremus: ut eo melius et honestius præfati artifices se regere, et disponere possent. Quorum articulorum tenor, de verbo ad verbum est talis. Inprimis statuimus, et temporibus perpetuis tenen: volumus, ut in Contubernio sive fraternitate nra, eligantur singulis annis, tpre consueto seniores, duo videlicet: Quorum prior, seu senior, cum pro aliquo confratre, signum aut nuntium miserit et ipse in domo repertus, venire frivole noluerit, pæna unius grossi punietur. Itm. quicunque seniores Magistri signum miserint, et per illud, ut oes Confratres convenirent, intimaverint; quicunque domi repertus non veniret, luet pænam unius libræ ceræ. (excepto si aliquam causa, ob quam venire non potuit) ostenderit; tunc pæna illi allevari aut dimitti debet. It. singulis Dominicis quatuor tporum quilibet Magr sine missione signi, aut nuntii, ad Contubernium venire debet, sub pæna unius grossi; et ibidem ad ceram p unum grossum componere. si vero aliquoties tam non cito venerit, quod cistula ante adventum eius aperiretur, talis puniatur uno grosso. It. statuimus, ut Magri in Contubernio, unus erga alium honeste se habeant et absque armis sint; si quis contra alium verbis inhonestis irruerit, luat pænam unius libræ ceræ. Si contra seniorem excesserit, puniatur dupliciter. It: Nullus sine consensu seniorum audeat exire de Contubernio, sub pæna unius libræ ceræ. Debent aut seniores bannire conventione, quando opus fuerit. et ibidem unusquisque accedere, in locoque res suas disponere, et recedere cum consensu Seniorum tenebitur, sub pæna unius grossi. It: Quicunque Pannificum Nri Contubernii vult effici Magr: is primum, Jus Civile habeat; tandem ad contubernium nrum debet accedere et petitione condigna facta, florenos decem ad ceram dare tenebitur. Discipulos quoque Nri Confratres docere et erudire debent, et tenebuntur tot annis, prout in aliis civitatibus, et hic ab antiquo observatum erat. It. Quilibet literas suæ procreationis, bonæque conversationis: nec non in arte sua edoctionis in Contubernio ostendere tenebitur. Quod si, pro tunc temporis huiusmodi literas habere non poterit; petat sibi condignum tempus præfigi ad ostendendas eiusmodi literas. It: Junior Magister serviet Contubernio in necessariis, et consuetis rebus. Candelas in templo, pro laude et honore Dei Omnipotentis, tempore et modo consueto accendet, et iterum restinguet. Quod si neglexerit, grosso uno punietur: et præmissa tam diu faciet, donec eum alter iunior subsecutus fuerit. Si vero aliquod damnum sua improvisione fecerit, illud suis impensis restaurare teneatur. Item: tenendum servandumque firmiter volumus; ut stamina æqualia, et bona faciamus: ad longitudinem ulnas triginta sex; ad latitudinem vero ulnas duas. Et debebit quilibet nostrum, in meliora stamina includere, alias snowac quadraginta ganki: et in spissiora seu deteriora stamina triginta quatuor ganki. Et si apud aliquem reperiatur stamen panni, coloris diversi, hoc est strefowany; talis debet puniri pæna sex grossorum. Si vero non bonum stamen; alias niemiarowy aliquis Magr elaboraverit, tunc ab illo stamine debent signa abscindi, et proiici: nec audebit ille Magister, huiusmodi pannum male elaboratum in civitate publice vel occulte vendere, aut incidere, sub pæna duodecem grossor. et perditione illius panni male elaborati; sed liberum illi erit eiusmodi pannum, pæna non omissa, extra civitatem divendere. It. Quilibet Magr, nri Contubernii debet habere iustam stateram, ad ponderandam lanam familiæ suæ. Quod si quis maiorem aut minus iusta habuisse reperiatur, talis punietur iuxta agnitionem omnium Magistrorum. Cum aut aliqui nri Confratres domi, aut alibi lites fecerint, aut se verberaverint vel etiam aliquid sibi detinuerint; tunc pro administranda iustitia, prius ad contubernium aut seniorem venire debet. Si vero alicui eorum in Contubernio gravamen esse videretur; licebit eis se ad Dnos Consules, aut Advocatum trahere, nlla pæna sequente. It: Quicunque Magr susceperit discipulum, debet illum in pbatione duas septimanas habere, deinde cum illo ad contubernium venire: ibidem quoque iuxta consuetudinem artificii, ad tres annos cum illo convenire; et per illos tres annos, vestitum condignum tenebitur ei providere. Anno primo tunicam spissioris panni, als grubą. Secundo pelliceum agnellinum: tertio vero anno, tunicam meliorem, sui laboris illi dare tenebitur. Et cum conductus et susceptus fuerit discipulus, debet Contubernio ad ceram dare grossos duodecem: et si pro tunc non habuerit, Magister pro eo fideiubere, (et si discipulus aufugerit) totum solvere tenebitur. Item. filius Magistri, orbatus parente, si artificium nescieverit, et illud exercere voluerit, studebit apud quemcunque Magistrum illi placebit, per unum integrum annum. Cui Magr etiam, si pauper fuerit, condignum vestitum providebit. Si vero Magistri defuncti adultus fuerit, artificiumque sciens, illud exercere voluerit; hoc erit illi liberum, datis quindecem grossis ad ceram. Item statuimus perpetuo firmiterque tenendum: ne unus alteri Confratrum audeat familiam, absque tpre congruo verbis pretio, aut quovis alio modo, abducere: talis quotiescunque in hoc repertus fuerit, punietur pæna sex grossor: et familiam abductam restituere tenebitur. It: cum contiget aliquem Mgrm, aut eius uxorem ex hac luce decedere: extunc oes Mgri, uxores eorum, socii, ac reliqua familia sepulturæ interesse debent: Mgri cum uxoribus sub pæna unius grossi: socii vero sub medio gs: reliqua aut familia sub solido irremissibilr. Idemque erit intelligendum de absentibus in funebrali pro anima defuncti; nec non quatuor tporum Missis celebran. Cum vero aliquis de familia morietur: una persona a quolibet Mgro, et oes socii in sepultura esse debent. Duo aut iuniores Mgri, et duo de sociis feretra portabunt: et hoc cum Mgr, aut uxor sua moriatur; cum vero ex familia, socii soli portare debebunt. **N**os itaque prænominati Consules annuen. petitionibus prædictorum Pannificum, articulos præsentes, per ipsos conscriptos et nobis in Prætorium nostrum oblatos, authoritate nostra Consulari, confirmamus, ratificamus, et perpetuæ firmitatis robur habere concedimus. Decernimus præterea, et harum serie literarum, omnibus et singulis, iurisditionis nostræ hominibus, cuiuscunque conditionis, qui de lana non laborant, inhibemus: ne audeant in foro clam vel publice in damnum et præiudicium Pannificibus, lanam coëmere, sub amissione eiusmodi lanæ, et pæna nobis Consulibus succumbente: nec etiam crassioris panni stamina, illorum structuræ similia, ex aliis oppidis et locis, quispiam adferre audeat; sub eorum itidem amissione et pæna superius commemorata. Damus etiam præfatis artificibus, omnimodam facultatem, lanam per institores, in damnum eorum coëmptam, cum servis nostris civilibus, recipiendi; quam in Prætorium nostrum, nobis præsentare, ac reponere tenebuntur: hoc idem erit intelligendum de crassioris panni staminibus, aliunde allatis. Insuper etiam, ad postulationem præfatorum artificum, nonnullos articulos ad solutionem mercedis eorum familiæ pertinentes, idiomate Polonico, ob difficultatem verborum, et vocabulorum, circa artificium eorum loqui solitorum, adscribere iussimus. Naprzod od obierania kamienia welny dwa szelągi. Item. Od cebrania wiesmaney welny, iż iey nie trzeba cesowac, od kamienia putgrosza. It: od bicia potrasków czarney, y ciemney welny, po szelągu; a od rudawych po siedmi pieniedzy. Item: dwa putrasky białey grubey welny, ma zbic za putgrosza. Stuka czarney y ciemney welny, te ma zbic za putgrosza: a rudawey za dwa szelągi. Rozbraict do greplowania po putgrosza; a ten rozbraict greplowac tez po putgrosza. Item: od osnowy y od wtkania postawu we trzy sztonty, dwiema cztery grosze; a iesli we cztery sztonty, tedy pięc groszy. Item. nabarwieniu dwanascie ciąg za ieden grosz; a sześc za putgrosza. Item: od nabiiania na ramy trzy pieniądze: a swemu Mistrzowi, powinien towarzysz pomoc nabiiac; iesli kto zan poydzie, ma zaplacic. A ci ktorzy maią barwic postaw, powinien po zdiąc zramow. It. od strzyzenia postawu grosz ieden; a gdy wyplanuią slaki, wyprawią, a na obraciu postrzygą, tedy grosz y cztery pieniądze. It: przędkom od przędzenia, welniarzom każdey welny po dwu szelągu. Item: od sztuki welny greplowaney dwa szelągi: a od wybiiancy po putgroszku. **H**æc et alia universa et singula, circa artificia eorum observari solita, si quæ in his literis sint ommissa, firmiter prout ab antiquo erat, tenendum et exequendum, præsentibus mandamus; omniaque superposita, ut præmissum est, approbamus, harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum civile, est super appensum. Actum et Datum Clepardiæ in Prætorio Nostro, feria secunda post festum S. Martini Episcopi et Confessoris. Anno ab incarnatione Dni nri Jesu Christi, per quem mundus Deo Patri Omnipotenti, reconciliatus est. Millesimo. Quingentesimo, Quadragesimo.

1892. IV. 164.